

dispositione perspicui posse; nec non tres priores, interrogationem putâ, admirationem, & interpositionem seu parenthesis hodie signis notisque peculiaribus in scriptione repræsentari: Attamen aliquando illius contrarium contingere cuilibet notum; & trium istarum notas Veteres non habuisse jam dictum: Adeò ut in illorum scriptis interpretandis eadem occurrat respectu omnium difficultas, quæ in recentiorum libris respectu reliquarum. Cùm itaque tot tantæque orationum sententiarumque occurrant differentia, iisque exprimendis atque exhibendis in Scripturâ deficient characteres atque notæ; fieri nequit, quin multæ, quæ, dum vivâ voce efferebantur, nec obscuræ erant, nec ambiguæ, si literis consignentur, vitia ista sibi contrahant. Exempla omnium percurrere non est animus, aliquarum enumerasse sufficiat. Christus apud Johannem in Euangeliò cap. 21. vers. 15, 16, & 17. ter Petrum alloquens, dicit. *Simon Jona, diligis me.* Quæ verba accipi possunt, dupliciter, vel quasi Christus ipsum interrogaret, num se diligeret, quemadmodum vulgò sumuntur, ac tum signo interrogationis insigniuntur: vel quasi Christus affirmaret Petro, quòd se diligeret. Idem etiam apud eundem, cap. 5. vers. 29. Judæis, qui ipsum persequebantur, ac trucidare studebant, respondens, ait. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testificantur de me.* Cujus versus priora vocabula, ἐπισυνάγετε τὰς γραφάς, sumi possunt vel in indicativò modò, sicut vult Cyrillus, & admittunt Commentatores in Novam Versionem Belgicam; vel in imperativò, ut censent, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, & Theophylactus. Si indicativè accipiantur, potest esse interrogatio, quasi diceret Christus *An vos scrutamini Scripturas, quæ testificantur de me, nec vultis venire ad me?* vel objurgatio, quasi ipsos stupiditatis argueret, hòc modò: *Scrutamini quidem Scripturas, & illæ testificantur de me, nec tamen vultis venire ad me. &c.* Si imperativè sumantur, rursus potest Christus vel illis jubere, vel ab illis petere, ut *Scrutentur Scripturas &c.* Similiter discipulis suis nimio somnò gravatis in Hortò, cum tertio ad illos rediisset, ac dormientes invenisset, dicit apud Matthæ. cap. 26. vers. 45. & Marcum cap. 14. vers. 41. *Dormitis jam & requiescitis,* in indicativò, vel *Dormite jam, & requiescite* in imperativò. Si prius, erit interrogatio, quasi dicat, Num in hòc periculò, quod mihi & vobis impendet, tanta est animorum securitas & tranquillitas, cum maximè vigilandum esset? Si posterius, est permissio ironica hujusmodi, Hactenus, dum vos, ne dormiretis, hortarer, verba perdidisti; dormite igitur jam & requiescite: hostes adsunt, qui hoc vobis non permittent, sed invitos cogent ad vigilandum. Sic etiam ironiam esse putat Melancthon lib. 4. Dialect. in verbis Pilati, cùm Christum interrogaret: *Quid est veritas?* quasi dicat, Tu es magnus fatuus, qui vis vera dicere in aulâ, ubi va-

let